

Dissertatio inauguralis medica, de therapia per dolores ... / [Daniel Geyss].

Contributors

Geyss, Daniel.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joh. Christiani Hendelii, [1730]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pdenpq9n>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

THERAPIA PER DOLORES,

Quam,

AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratosæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R Æ S I D E

D. MICHAELE ALBERTI,

MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CON-
SILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ETC.

DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

QUISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXX. D. OCTOBR.

Publicæ ac placide eruditorum ventilationi subjeciet

RESPONDENS

DANIEL GEYSS,

HANOVIENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELI, ACAD. TYPOGR.

HERAP

PER

DOLORS.

AUSPICE D. O. PROPOSITIO.

Et Consilio etque Assensu D. O. Propositio Medica.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA.

P. R. E. S. I. D. E.

D. MICHAEL ALBERTI.

AL. REG. BORUS. AULICO ET CONSIST. MAJOR. CON.

NO. MED. ET PHIL. NATUR. PROFESSOR. PUBL. ORDIN. HIC.

DECANO SUO SPECTATISSIMO.

omnino Patrono et Promotore suo omnino et in omni respectu.

PRO GRADU-DOCTORIS

SQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE.

HIIS DOCTORALIBUS LEGITIME INVESTITANDIS.

HONORIS LEGITIME CONVESTIT.

ANNO MDCCCXX. M. OCTOBR.

Publice et solenne defensione legitime.

RESPONDENS

DANIEL GEYS.

HANOVIENSIS.

IS. JOH. CHRISTIAN HENDLER, ACAD. TYTOGR.
HALLER MAGDEBURGIC.



PROOEMIUM.



Adversa quandoque utilia esse, non pauci Ethnicorum Philosophorum, præcipue Stoicorum Sectæ addicti, agnoverunt; quare varias consolationes in Dolorum acerbitate subministrarunt: *conf. Laertius Lib. VII. in Zenone p. 437. Lipsius Cent. 2. ad Belgas ep. 32. Cent. 3. ep. 81. Polybius Lib. V. c. 88.* quamobrem cruciatus ac tribulationes æquo, magno, elato, heroico animo perferendos esse, pro regula dogmatum suorum moralium tradiderunt: ex eo sensu gentilitio morali Seneca Ep. 24. scribit: *Dolor est quem Podagricus ille contemnit, quem stomachicus ille in ipsis deliciis perfert, quem in puerperio puella perpetitur: Levis est si ferre possunt: nec desunt multa argumenta, quibus ejusmodi Philosophi afflictiones & dolores demulcere & delinire sategerunt: ita Ennodius Lib. 3. ep. 4. elocutus est: præstant adversa, quod secunda minus tribuunt; quod effatum pas-*

ſim *Lipſius in Phyſiologia Stoicorum* teſtatus eſt: Firmi-
 ori ac digniori teſtimonio hoc adſertum probat ac il-
 luſtrat Sacra Scriptura, dum in V. T. in Proph. *Eſ. 28.*
v. 19. aſſeveratur, quod *vexatio det intellectum*: in N.
 T. divus Apoſtolus Paulus in *Ep. ad Rom. V. 3. 4.* elo-
 quitur: *afflictio patientiam operatur, patientia probatio-*
nem &c: B. Lutherus addit ſuam interpretationem &
 commentationem: *unverſuchte Leute ſind unerfah-*
ren, eitel Speculiſten, was ſolten die wiſſen? verſüh-
ren gleichwohl alle Welt: *Ep. ad Ebr. XII. 11.* ita diſſe-
 rit: *omnis caſtigatio ad præſens, non videtur eſſe gaudii, ſed*
triftitiæ; poſtea vero fructum pacificum per eam exercitatis
reddit juſtitiae: quare *Gregorius Lib. 3. Moral. c. 6.* ait:
Athleta DEI unde premitur, inde ſublevatur: Et quam-
 vis dolores ſenſui naturali ac ſanitatis admodum ad-
 verſi eſſe videantur, tamen ſub variis doloribus mul-
 ta bona proferuntur; hinc ſine doloribus nullus vi-
 vus ac ſanus infans in lucem editur, imo ſine dolori-
 ficis ſenſationibus nemo e gremio morborum ſanitati
 reſtituitur aut regeneratur: per multas afflictiones
 ac tribulationes patet ingreſſus in regnum Dei, ita et-
 iam per varias afflictiones in regno naturæ patet ac-
 ceſſus ad amiſſam ſanitatem recuperandam: unde
 cum C. *Graccho* eloqui poſſumus, *quid matri meæ male-*
diciſ, quæ me peperit! vid. *Seneca in Conſol. ad Helviam c. 16.*
 quicunque homines in naturalibus & ſpiritualibus
 plane inſenſiles evadunt, illorum ſtatus perquam pe-
 riculoſus & anceps eſt: quicunque etiam ſub ipsis
 morbis dolorum & moleſtiarum ſenſum amittunt,
 illi ut plurimum morti ſunt proximiores: *Cbicotius in*
Ep.

Ep. & diff. Med. disqv. de dolore recte ait: doloribus dolores mitigantur i.e. interdum alia dolorum species alteram auffugit: unde adversi aliquid occurrat oportet, quod animus prober, dixit Seneca in Consol. ad Marciam c. 6. Multis Patientia dolor est, sed ipsa patientia sæpe atrocissimi dolores vincuntur: hinc juxta Job. Bodinum in proæmio de oblectam. & util. histor. immorigeris hominibus tolerantia summus dolor est, alit vicissim juxta Reusneri versiculum vera etiam est assertio: Qui patitur, se sanat homo: patientia sanat quod cruciat: victrix & levat omne malum: Commune propterea est proverbium, man müsse Böses mit Bösen vertreiben, aut quod gratis & acceptis sæpe acquirantur, adversis vero avertantur morbi; quamobrem juxta Platonis Lib. X. de Republ. effatum per multa discrimina adversa & dolorosa ad veram felicitatem i. e. ad variam prosperitatem & salubritatem, adspiramus; huc pertinet Senecæ dictum Lib. de providentia c. 6. contemnite dolorem, aut solvetur, aut solvet: quæ singula adserta sub congrua interpretatione ad illam propositionem applicari possunt, quod nonnunquam dolores profint, adeoque prudenter dijudicari, neque promiscue condemnari debeant, dum interdum illi motus, qui dolores causantur, ad salutem naturalem inserviunt: de reliquis vero doloribus, qui damna pedissequa inferunt, illud etiam asseverare possumus, quod in l. c. Seneca in Consol. nimirum ad Marciam c. 6. dixit: desinat dolor, qui perit: Ex hisce aliquatenus nunc inclarescit, quod quidam dolores, qui adversi esse videntur ad vitæ confirmationem & sanitatis restitutionem pertineant, quidam

dam vero fatali ac perverso successu & eventu præditi
sint; ad minimum illud inde elucescit, quod in præ-
senti vitæ humanæ conditione nullum inveniatur &
impetretur commodum, quod non aliquod incom-
modum secum ferat, hinc prudens ac iusta dolorum
differentia agnoscenda & ad salutare usus applican-
da est, quemadmodum juxta Apostolum 2 Cor. VII. 10.
*alia tristitia, videlicet, quæ secundum DEUM est, pœni-
tentiam ad salutem non pœnitendam, alia vero, quæ mun-
di est, mortem operatur*: Inde facile patet dolores, affli-
ctiones, molestias, sensationes carni adversas, aut
homini naturali odiosas, quoad suos respectus, usus,
fines, fructus, ac destinationes non indiscriminatim
perniciosas ac lethales, sed aliquando utiles & medi-
camentosas esse: quales fructuosos Dolores etiam sa-
lubres, siue medicos nominare commode possumus:
nec quidem negari potest, dolores quosdam aliquan-
do nocivos & lethiferos esse, i. e. causam funesti effe-
ctus gignere & suppeditare; eapropter tamen alii do-
lores signis & causis salutaribus adscribi merentur,
hinc germanorum increbuit & innotuit proverbium,
man müsse Böses mit Bösen vertreiben: ob id in The-
ologia Morali, in Philosophia Morali & Medicina fru-
ctuosum & necessarium est, inquirere, seligere ac di-
scernere, quinam dolores ad salutem, quive ad per-
niciem tendant & contribuant: hæc meditatio, quæ
non vulgaris est, permovit nos, quo themate Inau-
gurali succincta disquisitione & commendatione de
THERAPIA PER DOLORES differamus & hanc
observationem ad Medicum præcipue forum appli-
cemus:

cemus: cui proposito, ut DEUS gratia sua annuat, idque exoptato & salubri usu coronet, est, quod in limine hujus tractationis humillimis precibus contendimus.

§. I.

DUm Curationem per Dolores explicare cogitamus, mox in memoriam incidit effatum Cypriani Serm. V. de Lapsis: Imperitus ait Medicus est, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente, contrectat & in altis recessibus viscerum virus inclusum, dum servat, exaggerat: aperiendum vulnus est & secundum & putredinibus amputatis medela fortiore curandum: vociferetur & clamet licet & conqueratur æger impatiens per dolorem: gratias aget, postmodum cum senserit sanitatem: huc quadrat Hippocratis dictærium Sect. VIII. apb. 6. quæcunque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat: quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat; quæ ignis non sanat, ea incurabilia putare oportet: quæ ipsa consilia complectuntur processum perquam dolorosum, quo peritus medicus interdum afflictis ægris amissam corporis sanitatem & integritatem restituit: exinde vero illa regula fluit, quod judiciosus medicus non in omnibus casibus mollitiei studere, nec quaslibet causas morbificas harumque effectus ad beneplacitum & delicatam ægrorum tolerantiam tractare, aut inconsultæ misericordiæ inhærere, subinde tamen non crudelitati, morositati & immanitati operam dare debeat, alias veritate se commendat assertum Fouberti in orat. de præsidiis futuri & excellentis Medici:

dici: imperitia medici immenso ægros affligit tormento & graviores causatur ipso morbo dolores: Quando itaque juxta Asclepiadem, referente Galeno in meth. Lib. XIV. c. 1. Medicus cito, tuto ac jucunde curare debet, ita illius officium est, ne afflicto afflictionem addat, aut cum doloribus ægrum frivole cruciet, sed potius adversas sensationes ac dolores leniat & mitiget; quare Duarenus in animadv. cap. 54. ait: Medici aliquando blandiri & assentiri ægris, magnasque non raro molestias devorare debent, ut ipsis morigerentur, velut quædam vis ac necessitas est &c. juxta hanc animadversionem facile Therapiæ per dolores præstandæ fides subtrahi, eademque imperitis ausibus adscribi posset; huc referimus Cellii in medica Dolorum consideratione p. 1. & 2. allegata verba: quæ Camerarius in Syllog. Memoral. Cent. XX. part. 89. recenset: Dolor unus & omnis salutare est DEI flagellum; Medici Sustentaculum: quid enim dolore crudelius, quid horribilius? quid cordato quoque gravique viro intolerabilius? tristissima sane res est dolor omnis, aspera, amara, inimica naturæ, ad patiendum tolerandumque difficilis; quid? quod imminentis quoque doloris expectatio saltem non paucos facit formidosos, inconstantes, perfidos: quod si quidquam, vel sola doloris mitigatio, sed accelerata, Medicum commendat & amabilitatem juxta gravitatemque conciliat &c. hæc singula testantur, quod Medicus potius dolores avertere, quam per dolorem curare debeat: & quamvis hæc salva & firma sub certis respectibus veritas sit, tamen altera assertio, quod dolores nonnunquam usus salutare, aut medicos connexos habeant, abnegari & rejici æque minus potest: quam ob rem quoad Tituli nostri Sensum per Therapiam per dolores intelligimus,

mus, talem indicationem & operationem medico-practicam, qua per convenientem sensationis dolorosæ, adeoque molestæ excitationem certi congrui salutare effectus ad morborum & symptomatum morbosorum nonnullorum aut mitigationem, aut subjugationem spectantes, obtinentur, ita ut vel alii pertinentes ac anomali motus inde corrigantur, vel præjudici-
 sæ humorum congestiones ac translationes emendentur, adeoque alii connexi salubres motus & effectus invitentur & promoveantur: hinc interdum evenit, ut unus dolor alium minuat, sive ut *Riedlinus in Lin. Med. An. 1. Mens. Dec. obs. 3. p. 416.* casu aliquo testatur, ut *major dolor obscuret minorem*: ita alioquin aut *gratæ* aut *adversæ* sensationis provocatio, magnam vim habet, ad motus alterandos, indeque ad varios effectus causandos; testimonio remediorum lenientium, temperantium, cordialium, cephalicorum, roborantium, stomachicorum, nervinorum, analepticorum &c. nonnullorum; siquidem subjecta quædam, *gustum, olfactum & tactum* afficientia, tales motuum immutationes *pedissequas* habent: in qua consideratione illa argumentatio locum invenit, quod valet de *minori* & subtiliori, id etiam de *crassiori* valet & majori: unde ejusmodi *medicæ* motuum immutationes, non tantum *subtiliori* ac grato, sed & *crassiori* ac *adverso*, videlicet *doloroso*, sensui obtemperant.

§. II.

Haud quidem necesse esse judicamus, ut in *definiendo*, aut describendo *dolore* operosi simus, siquidem præ-
 senti themate non tam *nominis* evolutionem, quam *realis* effectus propositionem intendimus, imprimis dum significatus *doloris* valde usu receptus ac *vulgaris* existit;

quare in genere *adversa* sensatio *alterationis* in *certis* corporis partibus obtingentis, *dolor* nuncupatur: in quo significatu iterum ratio habenda est subjeutorum, *plus minus* sensibilibium, quorum quædam varias offensiones *fortiter* & *robuste* perferre, alia vero a *levissima* alteratione fortiter offendi, indeque *gravissimos* dolores pati solent: & juxta hanc discrepantiam *sensibilitatis*, quædam individua ad hanc Curationem per dolores æque magis, alia minus apta & *adæquata* sunt, ac in Cura & *Therapia imaginaria* processus & effectus succedere solent; de qua consideratione conferatur *disp. hujus* tituli *Dn. D. Præsidis*: Neque porro in hujus observationis explicatione *doloris* significatus in nudo *abstracto* sensu accipi debet, sed in *connexo* ac concreto suo statu, quoniam dolor non in solo prædicamento *passionis*, sed primario in *activa perceptione* & *æstimatione* alterationis illatæ consistit; etenim si hic *sensus activus* cessat & velut expirat, *periculi* plenus est status in foro *Theologico, Politico & Medico*: siquidem homines *adeo insensiles*, ut nullas amplius *perniciosas* offensiones percipiant, in summo *periculo* constituti declarantur: unde etiam *torpor* & *languor* in vitali œconomia multa *sanitatis* ac *vitæ* detrimenta pedissequa tenet: quo magis vicissim homines in *moralibus* operationibus congrua & *moderata sensitiva* attentione operosi sunt, eo *melius* negotiis suis incumbunt, eoque *facilius salubrem* & exoptatum illorum successum & eventum assequuntur: & quamvis dolor etiam præsupponat *passionem* sive *veram*, sive *imaginariam*, qua vel per certas *ideas*, vel certas *materiales* communicationes certi *sensus, organa, sensoria* & partes sensibiles afficiuntur, tamen in ea, haud dolor

lor consistit, sed conjuncta *perceptio* & *æstimatio* illius *alterationis*, utpote plena actio, *formam* doloris efficit; in qua consideratione sub *certa* interpretatione aliquando illud Germanorum proverbium applicari potest: es *stom*
auf den Liebhaber an, videlicet quod *uni gratum*, *alteri*
adversum esse observatur: Dum præterea functio *sensa-*
tionis cum *œconomia* animali & processu *vitæ* valde con-
juncta est, id quod abunde demonstravit D. D. Præses in
disp. de Sensu vitali, de Sensuum internorum usu in œcono-
mia vitali, de Sensibilitate Personali, de Mente sana in cor-
pore sano, de phantasiæ usu, lusu & abusu in Medicina, de
Valetudinariis imaginariis, de Therapia imaginaria, ita
facile inclarescit, quod *dolores* multum contribuant ad va-
rios motus & effectus morbosos alterandos, vel *exacer-*
bando & augendo illos, vel *derivando* & *repellendo* eos-
dem, vel alio modo *immutando* eos: quare secundum
nostram disquisitionem dolores in illo *nexu* cum *motibus*,
ad *vitam* pertinentibus, intelligi & accipi debent, adeoque
in sensu *collectivo*, *haud* vero disjuncto; nam in postero-
ri sensu dolores *auxilium* quoddam *per se* afferre minus
possunt, sed in quantum *certæ* motuum *directiones* & ap-
plicationes, aut variationes cum doloribus *concurrant*;
& dum *therapeutica* sive *medica* & *salutifera* dolorum ef-
ficacia proponenda erit, ita non in sensu *indiscreto* talem
virtutem illis tribuimus; sed sicut quodvis *utile* remedi-
um *certa relatione* & *modificatione* nititur, ita *dolorum*
medica ordinatio non nisi *sub manu periti* artificis consi-
stere debet, ubi *congrua* & *opportuna* ratio ac *relatio*, *sub-*
jecti, *temporis*, *circumstantiarum*, *speciei*, *gradus*, *methodi*
sollicite annotanda & commendanda est, alias *contra* hos

respectus & *incongrue* excitati dolores, æque ac alia in-
consulta & *perversa* tentamina in foro *medico* commissa,
perniciosum effectum prodere & exhibere solent: hinc in
dolorum commendatione medica, pariter nonnunquam
valet diæterium, quod entia præter necessitatem non sint
multiplicanda: immo ut satis sæpe *acerbi* ac *acuti* dolores
alios *inconuenientes* & *anomalos* motus *spasticos*, *convulsi-*
vos, *inflammatorios*, *febriles*, *congestorios* excitare & *exa-*
cerbare possunt & solent, id quod Medici multis exem-
plis confirmant, propterea cum hac Therapia per dolo-
res eo major circumspèctio habenda est.

§. III.

In præsentī tractatione eximo aliquas animadversio-
nes, quæ eo referri possent; huc pertinet cura per *fla-*
gella aut *Verbera* die Klopff-oder Schlag-Cur, quæ licet
non sine *doloribus* succedat, tamen nec omnibus *accepta*
& *probata*, nec *usu* admodum recepta, nec frequenter
proficua est: ex instituto illam descripsit & edidit
Paullini in libro cui tit. *Flagellum Salutis*, oder Er-
zehlung wie mit Schlägen allerlei Krankheiten curiret
worden: in hoc libello author indicavit, quomodo in
variis morbis hæc cura per *verbera* opem medicam tu-
lerit: huc pertinet observatio, quam *Bartholinus* in *Act.*
Haffn. Vol. V. obs. 126. p. 322. profert: *affinis huic est cura-*
zio, qua quoscunque corporis dolores exteriores & tumores
pugnis vehementioribus, *parti dolenti impactis*, domare ami-
cum alium vidi, ut quasi *fustibus molliores fiant magis*,
quam ullis emplastris: quo referimus jocosam historiam
de *arthritide verberibus curata*, quam recenset *Riedlinus*
Lin. Med. An. V. Mens. Decembr. obs. 1. p. 1275. cujus ver-
ba

ba sunt: Lanio quidam cum *Præfectum* de doloribus *arthriticis* querentem audivisset, jam & medici partes sibi sumsit, se certum remedium nosse asserens, ubi *Præfectus* statim attentius inquirere & si res revera sic se haberet, ut applicare vellet, instanter rogare cæpit; addicit operam suam lanio, cum hac tamen conditione, ut omnes omnino *arthros* abesse jubeat *Præfectus*, sibi soli curam committat, sequenti die se rediturum & remedium sic applicaturum, ut dolores brevi sint cessaturi; conditionem accipit æger, horaque constituta redeunte lanione, omnes domesticos e cubiculo relegat, solusque cum solo restat; egregius vero scilicet medicus ad curam se accingit, lectum removet & arrepto fuste, verberibus tamdiu excipit decumbentem, donec ira percitus, dolorumque priorum oblitus, e lecto prosilit & arrepto gladio lanionem, nunc fugientem insequitur, nisi que cancelli scalam munientes impedivissent, sine dubio caput ejusdem e medio divisisset, hisce enim inflictum gladium antea extrahere non potuit, quam is fuga sibi consuluit: neque nostri thematis nervum exhaurit, illa observatio, qua doloribus tormenti, aut *torturæ* in quodam subjecto *arthritica* afflictio, annotante *Hildano Cent. 1. obs. 79.* extirpata fuit; de qua consideratione *conf. Dn. D. Præsidis tr. de Torturæ Subjectis aptis & ineptis §. 17. p. 70. 71.* & quando de *Alapis*, quæ *moralem & physicum* dolorem causantur (*conf. Stryckii dissert. de Alapa*) dicitur, quod aliquando *medicam* opem attulerint (quales effectus medicos *Alaparum* commemorat *Franckenau dissert. de Alapis §. 5.*) tunc illarum commendatio hoc nostro themate comprehensa haud est, siquidem effectus *medicamentosus* qui inde expectatur perquam anceps est, & copia effectuum

um *contrariorum* five nocivorum *salubres* admodum *superat*, ut propterea ex *fortuito*, aut *æquivoce* salutifero effectu, nulla *secura regula* therapevtica formari queat; talis enim curatio magis *empiriam* olet, adeoque *fallacibus* effectibus & eventibus obnoxia est: & quamvis nonnulli medici *ejusmodi* experimenta in hominibus *vilioris* sortis commendent, tamen neque in hisce usurpata medicinam, utpote *artem*, probant & constituunt, ni oblocutio illa metuenda veniat, der Bauer könne auch diese Kunst, i. e. mit Schlägen und Maultschellen einen tractiren: *Prudentiæ* itaque medicæ est, quo talia experimenta magis ad *cognitionem*, quam facilem aut promiscuam *imitationem* referantur: quamvis vero *crassa* talia experimenta *haud* usui *medico* congrua *facile* existant, tamen alia reperiuntur curationum per *dolores* specimina, ut non *absolute* in *quibusvis* casibus *lenitatem* observare debeat Medicus: quare *Riedlinus* in *Lin. Med. An. 3. Mens. Decembr. obs. 29. p. 895.* historia quadam & annotatione practica testatur, quod Medicus nec *rigorosum* semper, nec *conniventem* & *placidum* quovis tempore se gerere debeat: Denique in *generali* hujus thematis explicatione annotamus, quod ad hanc Therapiam, neque nimis *torpida* & *insensibilia*, neque *nimis*, *sensibilia* requirantur subjecta, quoniam ad doloris *excitationem* & congruam applicationem *sensatio moderata* pertinet: dum vicissim vel nimius *languor* hanc curam plane *ineptam* ac fatuam reddit, *nimia* vero sensibilitas facile *excedentes* & *anomalos* motus in *consensum* ducit; ubi porro ratio habenda est *consuetudinis*, *hæreditariæ* dispositionis, *idiosyncrasie*, *ætatis*, *ni-
miæ debilitatis*, aut *eximie teneritudinis* corporis; quæ
quali.

qualitates prudenter cum *secura & salutarī* Therapia per *Dolores* conferri merentur.

§. IV.

Nunc ordo requirit, ut aliquot specimina *Dolorum* proferamus, quibuscum *salutares aliquando* effectus obtinentur: in hac meditatione mox *Vesicatoria* considerationi sese offerunt; quæ non raro ad *arduos* affectus, imo nonnunquam valde *dolorificos* adhibentur, velut ad *capitis, aurium, dentium, oculorum* aliarumque partium dolores; quo pertinent variæ observationes, quæ utilitatem *Vesicatoriorum* in *spasmis*, velut *arthritide, ischiade*, odontalgia rheumatico-spastica, aliis doloribus rheumatico-spasticis, in dolore temporum, in convulsionibus, *conf. D. D. Præsidis Lexici Realis Pars I. & II. tit. Vesicatorium*: quod vero vesicantia remedia *dolorem* satis sensibilem causentur, nemo negabit; quare in *robustioribus minusve* sensibilibus subjectis *haud ita facile & cito* operantur; imo aliqui testantur, quod in *cadaveribus* nihil efficiant, vid. *Garmannus de Mirac. mort. Lib. 1. tit. 7. §. 42. Helmont. tr. de Lithias. cap. 9. §. 102. 103. A. N. C. Dec. 1. an. 2. ob. 7. schol.* quod porro *Vesicatoria materiam morbificam*, raro aut *insufficienter* educant & sæpe *derivatorio ac revellente* scopo usurpentur, interea non raro exoptatam opitulationem concilient, omnibus peritis medicis cognitum est: quando itaque nonnulli affectus aut *plene in vitiosis motibus* consistunt, aut præter causæ *materialis* copiosam præsentiam unà *anomalos* motus complectuntur, tunc vesicatoria remedia sua *dolorosa* operatione *motus* illos efficaciter alterant, eosdemque aut a locis affectis *avocant*, avertunt & dissipant, aut ita *revel- lunt*, ut posthac *materia morbosa*, in aliqua parte hærens, facili-

facilius & citius *removeri* & *emoveri* queat; nec quisquam facile sibi persuadebit, quasi vesicantia remedia e reliquo fluxu & confluxu aut colluvie humorum exacte illam *morbosam*, quam aliqui *acrem*, *salsam*, causticam, stimulantem, *rosivam*, pungentem &c. nominant materiam, velut per *analogam* magneticam vim attrahant, *intra vesicam* colligant, hocque modo *morbum* & *prævium* a morbo venientem dolorem extirpent ac curent, aut si *tota* humorum massa adeo depravata esset, quasi *exigua* illa quantitas materiæ, in *vesica* hærentis, morbum adeo sanet & subjuget, dum *plurima* nihilominus ejusdem qualitatis copia *inimicæ* & suspectæ materia remaneat: inde facile liquet, quod hi *dolores*, quos *vesicatoria* excitant præcipue *connexos motus* alterent, & per hosce reliquas *morbosas* affectiones *corrigere*, ac sub *perita* ordinatione, directione & modificatione *salutarem* effectum promovere adjuvent: quo minus itaque Vesicatoria *dolent*, eo minus quoad reliquum usum operantur, quo *magis dolorem* causantur, eo *potentius* & *citius* alterationem perficiunt, quare sæpe sola ad *revulsionem* sufficiunt, referente *Wepfero in observ. p. 96. 106.* simili modo *Vesicatoriorum* effectum cum *doloribus* connectit & describit *Ettmüllerus in Therapia*, ubi de *Vesicatoriis* tractat; idem etiam testatur *Tirellus de Vesicantium recto usu & utilitatibus.* In eandem classem referri merentur ita dicti *Phænigmi*, aut *rubefacientia*, nec non *Sinapismi*, qui a Vesicatoriis in *tantum* differunt, quod sub *congrua* directione & ordinatione non quidem vesicas excitent, attamen *ruborem*, *ardorem*, *pruritus* ac fremebundum sensum molestum ac *dolorosum* causentur: quare de *Sinapismis* *Fernelius in Meth. Med. Lib. 6. c. 9.* dicit: *quod vehementiori dolore*

lore & papularum ardore operentur: horum usus uti multiplex est, tam derivatorio ac revulsorio scopo, quam pro torpesciente & intermisso sensu ac motu revocando, ita illorum operatio non tacita ac subtilis, sed valde emphatica est; quod si etiam illorum applicationem nullus sensus, præcipue molestus & dolorosus excipiat, tunc de illorum virtute medicamentosa utique iusta ratione dubitatur: quare Herc. Saxonia tr. de phænigmis p. 24. dicit: quod remedia hæc sale suo caustico fibras nerveas offendant: & quemadmodum omnes medici in eo conveniunt, quod talia subjecta corrode, adeoque perquam stimulante effectu operentur, hinc totus hic processus & modus operandi ex parte per dolorem succedit, conf. D. D. Præsidis tr. de medicam. mod. oper. in corp. vivo sub tit. rubefacientium, quæcunque etiam alia experimenta sine tali salino stimulo similem effectum proferunt, illa æque moleste ac dolorose corpus afficiunt: velut sunt cauteria, vehementior calor, certis locis admissus, qui sensibilem ardorem ac connexum dolorem causatur: ut infra adhuc indicabimus §. ultimo, ob id etiam sequitur, ut homines in cute valde sensibiles ob horum remediorum usu majorem & citiorem dolorem, indeque celeriore ruborem & connexum effectum medicum experiantur.

§. V.

Prædictis remediis annumeramus sic dicta *Piceata*, in foro chirurgico usualia præparata, quæ simul *attractiva*, si-
ve juxta antiquum stylum epispastica sunt: ita enim pix cuti manuum adhærens, non modo *molesta* & *adversa*, sed & in subjectis *tenerioribus* & *sensibilioribus* *dolorifica* est: quare cum pice *supra* nonnulli similes provocant effectus, ac

C

cum

cum *alio rubefaciente* remedio perficere solent: ob id *em-
plastra attractiva* Zugi Plaster satis sæpe *eminenter* dolori-
fica sunt, quæ propterea aliquando separari debent, es-
siehe zu scharff, man könne es nicht ausstehen: hinc ad ta-
lem locum aliunde humores *copiosius* confluunt & non-
nunquam pro diversitate circumstantiarum *discussionem*
necessariam & *murationem* promovent, qui universus
processus variorum *dolorum comitatum* complectitur:
Dolorificam porro *therapiam* constituunt *Urticationes*,
quæ licet ad *Celsi* commendationem *antiquioribus* usu ma-
gis in *defectu* motuum ac Sensuum receptæ fuerint, tamen
quocunque tempore usurpentur, semper *doloris* sensum
connexum habent, siquidem juxta *Rolfincii* annotationem
in ord. ac meth. med. Lib. IV. Sect. 9. Part. 2. p. 438. usque
ad ruborem urgentur, qui vero aut *molestum*, aut *doloro-*
sum sensum conjunctum habet: de qua urticationis ope-
ratione Dignissimus ac Celeberr. quondam Collegii Nat.
Curios. Præses B. Dn. D. *Schroëckius* in *scholio* observationis
34. *Decur. 3. An. 1. A. N. C.* ita judicat: unde potius in *spi-*
culis urticam ubique cingentibus & *acumine* suo dum *pene-*
trant fibrillas cutis nerveas pungentibus medellæ causam
quærerem, quæ dum a *molestis* his *corpusculis* convelluntur
&c. talis itaque operandi modus *haud sine dolore* succe-
dit: hoc ergo nosse convenit, si juxta *Lanzonium* in *alleg.*
observ. A. N. C. & Hoeferum in Hercule Medico Lib. IV. cap.
1. p. 270. in nostris ævis experimenta cum urticatione in
ischiadici facere placuerit: in hunc numerum referimus
percussionem cum *ferulis*, cujus ex *Galeno Lib. 14. method.*
med. cap. 16. Rolfincius l. c. p. 438. ipsis *Galeni* verbis men-
tionem injicit: *Ferulas parvas ac leves modice illitas graci-*
libus

libus partibus incutiunt, donec modice attollantur & licet hic modus curandi in recentioribus temporibus usitatus amplius haud sit, illud tamen in eodem notamus, quod & ipse molestas ac dolorosas sensationes comprehenderit: & quid dicamus de Frictionibus, quarum usus crebrior & familiarior esse solet; quæ si cum pannis asperioribus exercentur, æque aliqualem doloris sensum conjunctum tenent; quare in ordinatione practica pro varietate circumstantiarum urgentium, nunc efficacior & asperior talis frictio admittitur; & si subjecta quædam insensibilia fuerint, aut majores motuum defectus adfuerint, fortior utique frictio, quæ sensum revocat & aliqualem dolorem causatur, commendatur, quam posthac si salubres & exoptatos effectus prodit & profert, eminentior ardor, rubor ac dolor in affectis locis excipit: & tali modo non raro salubri effectui & eventu instructa & probata observatur Frictio scopo revulsorio adhibita: quam ob rem Wepferus observ. p. 707. 761. 208. Frictionem in Paralyfi, Hemiplexia &c. valde laudat; conf. A. N. C. Dec. 3. an. 2. obs. 5. Val. Martinus in opusculis de Vesicantium, Frictionum &c. recta administratione, Franc. Fulleri tr. declarans exercitationum potentiam respectu æconomiae animalis, A. E. L. An. 1707. Mens. Ianii p. 277. Verulamius in histor. vitæ & mortis, Camerarius de usu frictionis medico &c. Hisce antiquitus quidem magis usitatis modis curandi dolorificis addimus sic dictam Pectinationem, quæ ex veterum crebriori usu, nunc magis in Medicina pauperum & per domestica increbuit; hujus mentionem facit Rolfincius l. c. Lib. IV. Sect. X. Part. 3. c. 2. p. 440. quæ si paulo intensior est, non sine omni molestia ac dolore procedit; inde vero ad di-

*scutiendos stagnantes humores in capite, ad derivandos affluxus humorosos a cerebro & varios abhinc dolores provenientes mitigandos simplici licet, attamen efficaci ope, confert; quæ vulgaris medela haud omnimode spernenda est: Frictio & velut cribratio ac pectinatio reliqui corporis cum excutia paululum asperiori, æque aliquales dolores faceffit, sed eo ipso non parum juvat, quo inquinamenta purpurata, scabiosa, biliosa, serosa acria facilius & copiosius efflorescant & ab internis nobilioribus organis ac partibus, nec non ipsa massa sanguinis largius secedant, ac in insensibiliorem & ignobiliorem externam regionem, videlicet cutem se dimittant; qualis species medelæ in retrocessione talium inquinamentorum ad interiores partes aut difficili ac impedita efflorescentia in peripheria corporis, in variis casibus notatu & imitatu satis dignam opem promittit: tandem ejusmodi speciminibus dolorosarum curationum annectimus capillorum evulsionem, quæ nunquam sine dolore succedit, cujus mentionem pariter injicit Rol-
fincius l. c. cap. 3. p. 441. ita eandem Aetius Tetrabibl. ter-
tio Sermon. I. c. 8. in animi deliquiis in hominibus vilioris conditionis commendat; aliqui in apoplecticis & soporosis affectibus illam commendant: & hæc pilorum vellicatio aut evulsio, in Cura domestica variis in affectibus, præci-
pue etiam ad prolapsam uvulam restituendam commenda-
tur, quæ ipsa etiam non plane inutilis aut empirico ausui adscribenda, interim tamen doloribus stipata existit.*

§. VI.

Multum porro valent dolores ad medicos effectus promovendos, ad largam & sufficientem, nec non promptam & celerem evacuationem humorum & materialium,
ut

ut & efficacem *motuum revulsionem* in *purgantibus* & *vomitivis*, præc. in *subjectis robustis*, *durioris* & *vilioris fortis*, ac in *climatibus* & *regionibus asperioribus* natis & *educatis*; hinc ejusmodi homines remedia non æstimant, quæ non *sensibilius* afficiunt, welches nicht starck in Leib herumgehe und arbeite, dum contra *leniora* & *debiliora*, non modo *nihil* operantur, sed aliquando *contrarium* effectum edunt; non quidem *probamus*, quod in *omnibus* *subjectis* *prædictorum* *remediorum* *usum* *dolorifica* *sensatio* *comitari* *debeat*, neque *proficuum* ac *securum* esse *judicamus*, si in *robustioribus* ac *durioribus* *subjectis* *eximius* *dolor* *conjunctus* *est*, interea *moderatus* *molestus* *sensus* *sub* *certis* *circumstantiis* *non* *improbatur*: hinc *Albrechti* in *A. N. C. dec. 3. an. 10. obs. 9.* & *Valentini* in *Polychrestis exoticis* pro bono omine declarant, si *ingestionem* *radicis Ipecacuanhæ* *anxietas* & *nausea* *sequitur*: quando itaque *copiosa* *evacuatio* *necessaria* *est*, communiter talia remedia cum *dolorosa* *molestia* *torminosa* *operantur*: & talem *dolorificam* *sensationem* *causantur* *suppositoria* *stimulantia*, quam dehinc *promptior* *effectus* *evacuationis* *excipit*: sæpe enim contingit, ut remedia *aloëtica* *ante* & *sub* *operationem* *ardentes*, *prurientes* & *tenesmoideas* *molestias* *causentur*: in eandem *classem* *referimus* *porro* *Clysteres* *stimulantes*, qualia *alvum* *educunt*, cum *dolore* *operosa*, remedia, communiter in *defectibus* *motuum*, videlicet *apoplecticis*, *hemiplecticis*, *paralyticis*, *syncopticis*, *suffocativis*, nec non *soporosis*, ut & nonnullis *animi* *morbis* *ordinari* & *probari* *solent*; & quoniam in *talibus* *morbosis* *afflictionibus* *utplurimum* *sensatio* *aut* *valde* *oppressa* & *abolita*, aut *perversa* *est*, ita cum *talibus* *remediis*, *dolorose* *operantur*.

rantibus, illa sensatio *excitatur* aut *revocatur*: & quid dicamus de ita dictis *Apoplegmatizantibus* remediis, dum *Errhina* sensibilibus, moleste & *comparare* dolorose nares stimulant & ad *copiosorem* muci fluidi affluxionem & effluxionem irritant: *ptarmica* nonnulla simili *dolorosa* offensione *potentem* sternutationem causantur; *masticatoria* denique *quædam* valde acris sunt & fauces admodum irritant, *ardente* & pruriente sensu *molestant*, hocque dolore citiorem ac *largiorem* humorum affluxum intra fauces provocant ac sustentant: quæcunque vicissim subjecta aut *parum*, aut *vix sensibilibus* nares & fauces *irritant*, illorum effectus *medicus* perinde *exiguus*, aut *tardus ut plurimum* observabitur: & si cum quibusdam horum mediorum nulla condigna *circumspectio* ac cautela attenditur, tunc ob *nimum* dolorem, quem eadem conciliant, *prava* superveniunt consuetudines, velut inflammationes, spasmi, febres, aut corruptiones, quod præcipue de *imperito* usu *euphorbii*, *pyrhetri*, *hellebori albi* &c. valet; hinc agyrtæ cum *euphorbio* ad *sternutatorium* faciendum technas suas struunt: *conf. A.N.C. Dec. 1. an. 1. obs. 34.* de agyrtarum more & modo *extemporaneo* successu *catharrhos* subducendi & extrahendi: sicut cum *Rhaphano acriori* simile experimentum quidam instituere solent: *vid. A.N.C. l. c. app. p. 10.* testis hujus annotationis est *Hildanus* qui in *Cent. 4. obs. 13.* *Sternutationum more empiricorum provocatarum incommoda* recenset: *Setacea* porro non modo sub *eximiis doloribus* parantur & applicantur, sed sub doloribus & *per hosce* operantur, qui dolor repeti & diversa filamentis aut funiculi attractione & retractione innovari, ac conservari, aut continuari debet, interea etiam aut

ex

ex aliis locis *motus*, avocari, derivari & revelli, aut humorum *affluxus largior* excitari, ob id nonnunquam dolorum *acerbitas* leniri & mitigari, insuper etiam nimia humorum congestio & effluxio coerceri debent: in hunc censum adhuc referimus *Fonticulos*, qui perinde cum *doloribus* perficiuntur, sed & *per dolores* operantur; & licet hi adeo *magni* haud sint, tamen *molestum*, adversum & *insolitum* sensum complectuntur; quando etiam tales Fonticuli sufficienter *haud manant*, tunc illis *talìa* subjecta insperguntur, quæ sale quodam *stimulante* pruritum, ardorem, molestiam i. e. certum gradum *doloris* provocant, quamvis dolores *adventitii* & symptomatice, qui fonticulis aliquando accidunt, ab illis *distingui* debeant, qui ad eosdem pertinent: Denique hoc loco adhuc adjungimus *Cucurbitularum cæcarum* appositiones & ordinationes, quæ communiter cum *molestia* operantur & in subjectis *sensibilibioribus* majorem doloris gradum causantur; hinc quidam homines conqueruntur, *Das sie zu scharff anziehen*, siquidem non modo effectus ille *attrahentius* certo gradu *dolorificus* est, sed & congestio & *affluxio* humorum *conjuncta*, ardorem & pruritum, licet *transitorium*, tamen *dolorificum* introducit, hocque sensu connexa *medica* virtus ex parte nititur.

§. VII.

Hisce curationibus insuper adscribimus famigeratam *spasmodum* medicationem cum *cauteriis*; ubi præc. cura *Podagræ* cum *Moxa* inclarescit, de qua *posteriori A. N. C. Dec. 1. an. 7. obs. 218. 224.* & *Bartholinus in Act. Hassn. Vol. 5. obs. 80.* referunt, quod *vix utilior in podagra, quam aliud vesicatorium existat*; talia vero experimenta cum magno *dolore* operantur, idque efficiunt, ut ob *hujus* doloris

ris valde *molestam* perceptionem, alter *spasticus* dolor oblivione extinguatur, aboliatur & sepeliatur, quid quod *motus*, ad illos dolores contribuens, *omittatur*; & quamvis inter *Europæos* hæc Moxa tam *exoptatos* effectus haud proferat, ac inter *Sinenſes*, tamen quotiescunque *medicam* opem affert, toties per *dolorem* operationem suam exſerit: dantur proinde alia experimenta ad ſpaſmos *alterandos* adhiberi ſolita, quæ dolorem cauſantur, velut *frictiones aſperiores*, *capillorum evulſiones*, *phænigmi*, *cucurbitula cæcæ*, *acicularum puncturæ* &c. *Ligaturæ* variarum partium & quidem *digitorum arctiores* in diverſis affectibus commendantur, ac *fructuoſæ* deprehenduntur, hinc ad *ſiſtendos Menſes*, omnesque generis *hæmorrhagias*, ad efficaciffimas *revulſiones* excitandas, admodum commendantur a *Rommelio in A. N. C. Dec. 2. an. 5. obſ. 29.* ita etiam *Rolfincius l. c. cap. 4. p. 441. ſeq.* *Ligaturarum* uſum medicum commemorat; quæ *fortiores* ligaturæ, *incongrue* adhibitæ, varia paſſim provocaverint damna, multis jam exemplis conſtat: tales ligaturæ vero *dolorem* perpetuo conjunctum habent, qui *ſenſibilis* dolor cauſa eſt, cur in loco affecto motus immutentur, ac *conſtrictio* & hæmorrhagarum *repreſſio* ſubſequatur: hinc nominatus *Rolfincius* de veteribus recenſet, quod in *Ligaturarum* operatione *dolorum* connexorum rationem & æſtimationem habuerint: Præterea ſubjecta multum *ardorem* ac *æſtum*, inſimul etiam *dolorem* cuti conciliantia, variis affectibus *ex parte* curandis quadrant, veluti *emplaſtra maſticbina* valde calida in *odontalgia* aut temporibus, aut nuchæ applicata; experimentum quo *Blegny Zodiac. Gallico An. 1680. Menſ. Febr. p. 54.* uſus, æque *dolorum* inevitabilium cauſa fuit, qui perinde medicam opem promoverunt, commen-

davit

davit videlicet *Zingiber tritum spiritui vini inditum ac per nares attractum*; similem curam *Borellus Cent. 3. obs. 27. de odontalgia allio contuso cum salis momento pollici admoto curata*, quod experimentum velut *rubefaciens effectum suum præstitit*: ut non æque multum urgeamus curam *odontalgia per alapam*, quam proferunt *A. N. C. Dec. 2. an. 2. obs. 92. sic Scultetus in armament. chirurg. Tab. XIX. fig. 1.* mentionem facit *anthracis aut carbunculi*, qui retrocessit, ex locis sedalibus, quæ antea occupavit, qui per admotionem in viciniam ejusdem loci ferramenti valde *candefacti*, iterum revocatus & ad novam efflorescentiam promotus fuit: in *Uvula prolapsione* varia talia *dolorifica* experimenta passim circumferuntur, velut *capillorum* in vertice attractio, applicatio valde *æstuantium* subjectorum, aut *rubefacientium* ad verticem, *frictio* brachii, quam *Hannemannus in A. N. C. dec. 2. an. 2. obs. 56. an. 3. obs. 5. an. 5. obs. 127.* commendavit: Non minus in *Singultu* varia tentamina *dolorosa* passim allegantur, velut *Cucurbitula Cæca ad ventriculi regionem* apposita, cujus curationis reminiscitur *Riedlinus Lin. Med. An. 1. Mens. Aug. obs. 4. p. 230. Camerarius in Syllog. Memor. Cent. X. part. 82.* curationem *Singultus* cum *compressione ad latera digito facta* commemorat: ut non huc referamus curam *Singultus* cum *alapa*, quam *A. N. C. Dec. 3. An. 1. obs. 44.* recensent: & quot non experimenta *febrifuga* circumferuntur, quorum varia satis sensibiles dolores inferunt: ita *vulgi* est experimentum *domesticum*, quando interiorem ovi gallinacei tunicam digito minori circumducunt & tam diu impositam relinquunt, donec exsiccata decidat, sub cujus applicatione homines in illo digito & eadem manu *intensissimos* dolores experiuntur, ob cujus experimenti *dolorem* affecti homines interdum paroxysmi

mi obliviscuntur: Non placet præsentem annotationem longius extendere, sed suffecerit brevi hac explicatione themati nostro quadantenus satisfecisse, quare clausulam imponimus, DEOque T. O. M. pro præstito auxilio in edendo hoc Inaugurali specimine humillimas grates tribuimus, insuperque devotissimis precibus flagitamus, ut non modo præsentem, sed & reliquos nostros labores ad exoptatum & prosperum dirigat & promoveat

F I N E M.

A D D E N D U M

ad §. III. p. 13. *De Urina a Verberibus provocata. A. N. C. Dec. 1. An. 5. app. p. 19.*

A *Scendit Cathedram, multo discrimine rerum
Factatusque casu, G E Y S S, at is ecce ridet,
Nunc properis Laurum manibus jam plectere cernens
Musas Cultori præmia digna suo.
Sic sedulus, faustus, felix lætæq; Miserrorum,
Gaudeat ut Medico Patria chara novo.
Heu vivat, valeat, vigeat G E Y S S, floreat; Eheu!
Doctori nostro plaudite plaudite Jo.*

Sic Amico suo æstumatissimo fide sincera integerrimo, Nobilissimo atque Doctissimo Domino Doctorando applaudere, seque ejus memoriæ benevole commendare voluit

J. M. Brodhag, Med. Cult.
Emendinga-Bado-Durlac.

S *ic labor antevolat! sic præmia justa sequuntur!
Præmia, quæ fas est digna labore sequi.*

His paucis Nobilissimo DN. DOCTORANDO Amico æstumatissimo animitus gratulatur & fausta quævis prosperaque apprecatur

I. H. Rahnus, Helveto-Tigur.